



HErminius Cheruscorum gentis (qui hodie Vuestphali sunt) principis filius fuit. Is iuuenis generis nobilitate, animi magnitudine, & corporis fortitudine omnes alios principes eius aetatis longè superabat, id quod in uultu & oculorum splendore significabat. Ut autem commodius bella exercere possiet, foelici consilio aliquandiu Romanæ militiæ castra secutus est, unde etiam ob id ciuitatis Romanæ ius, & equestrem gradum consecutus fuit. Cum autem in patriam reuerteretur, altis suspirijs dolebat, Romanorum tyrānidem etiam Germanis formidolosam esse: itaq; sese uindictam libertatis exhibuit. Habebant autem tum Ro-

mani omnium post Punica grauissimum bellum, quod Illyricum dicebatur, id quod Augustus Cæsar per quindecim legiones gerebat. Commodè etiam accidit, quod Tiberius Drusus, qui magno successu Germanos oppugnarat, ad Moguntiam uiolento equi casu afflictus, post aliquot dies mortuus fuerit. Itaq; Quintilius Varus ab Augusto in locum Drusi copijs Romanorum præfectus est. Verùm sicuti Germani læta bello gens sub Druso mores Romanorum magis quàm arma susceperant, ita Quintilij Vari libidinem atq; superbiam odisse cœperunt. Vnde factum quod primo Cherusci Harminio duce contra Romanos conspirarint. Erat autem Segestes Harminij socer, qui Varum in tempore eius rei admonebat, omni coniuratione detecta. Verùm Va-